



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

Reverendissimo in Christo Patri Ac Domino, D. Ioanni Archiepiscopo
Treuirensi, sacri Romani Imperij per Galliam & Regnum Arelatense
Archicancellario, Principi Electori, salutem perpetuam in domino ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721



REVEREN-
DISSIMO IN CHRIS-
TO PATRI AC DOMINO, D.
Ioanni Archiepiscopo Treuirensi, sacri Ro-
mani Imperij per Galliam & Regnum Are-
latense Archicancellario, Principi Electori,
salutem & perpetuam in Domino fœ-
licitatem, PETRVS Suffraga-
neus exoptat.

NULLA ars doceri presumi-
tur, nisi prius intent a medi-
tatione discatur, Reueren-
dissime in Christo Pater, ut
D. Gregor. Magnus attestatur, & expe-
rientiarerum omnium magistra demon-
strat: Proinde ab imperitis sacerdotibus
magisterium Pastorale in magna temeri-
tate suscipi, & cum maiori animarum pe-
riculo administrari, nemo sana mētis du-
bitat: Cum ars artium sit regimē anima-
rum. Quis enim, inquit, sanctus Doctor,
cogitationum vulnera occultiora nesciat
esse, vulneribus viscerum? Et tamen saepe,
qui nequaquam spiritualia precepta cog-
nouerunt; cordis se medicos profiteri non
metuunt: dum qui pigmentorum vim nesci-
unt,

1. part. curas
Past. cap. 1.

(:) 2 eiunt,

P R Æ F A T I O.

ciunt, videri medici carnis erubescunt. At quod si ex medicina corporum curam contem-
plemur animarum, eam tanto difficiliorem
reperiemus, quanto excellentior anima
portio, corpore. Corporalis enim medicus
corporum complexionem perscrutatur, mor-
borum causas inuestigat, temporis, loci, et a-
tis, similiaque rerum circumstantias con-
siderat, omnemque curam impendit, ne in mi-
nimo artis decreta transgrediatur. Quae
certe omnia magnam sollicitudinem et di-
ligens studium requirunt. At spiritualis
medici officium est mores corrigere, homi-
num conuersationem cognoscere, animos
purgare, vitia expellere, remedia contra
peccata quae anima morbi sunt, prescribere,
oleum diuinae misericordiae, vel vinum iu-
stitiae vulneribus sauciatis, more periti me-
dici, super infundere, peccati et peccatoris
conditiones inquirere, cuncta, quae intra
et extra hominem geruntur, dirigere: Qui-
bus operibus quis sapiens se parem iudica-
bit? Auget quoque periculum, quod Pastor
animarum iudicis partes in foro conscientiae
subire tenetur, qui profecto cauere debet,
ut sicut non commisit crimine nequitiae, ita
non careat munere scientiae. Oportet ut
sciat cognoscere, quicquid debet iudicare.

Iudi-

Cap. 1. 6.
Caveat de
pœn. d. 6.

P R A E F A T I O .

Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet iudicare, discernat, ut sacer canon loquitur: Alioquin ut cæcus de coloribus, quos non percipit, male iudicabit. Cū ergo tanta difficultas muneri pastorali coniuncta sit, dolendum & maxime deplorandum, quod his afflictissimis temporibus à multis, qui vix humaniorū literarum perfecta fundamenta iecerunt, regimen animarū angelicis humeris formidandū appetatur & suscipiatur. Profectò si tales, ut fieri deberet, prius vires suas cum onere, quod subituri sunt metirentur: aut se impares reperiendo, abstinere: aut certe cum maximo metu ad id, cui se sufficere existimant, accederent: Quod quia ex ignorantia, cunctorū errorum matre facere negligunt, in Ecclesiā mala, quæ Ezechiel negligentibus pastoribus ascribit, irrepūt. Pastores pascunt seipsos non gregem, quod infirmum est non consolidant, quod agrotū non sanant, quod abiectum non reducunt, quod con fractum non alligant, & quod perijt non querunt; & sic proh dolor in multis locis sicut populus, ita sacerdos. Hisce malis Sacrosanctū Concil. Trident. oportunitate remedium adhibuit, quando ad Ecclesiæ reformationē sancivit, ut beneficia pasto-

1. q. 1. ca. Nō est putāda.

Ezech. 34.

sess. 24. de reformat. c. 18.

PRÆFATIO.

Osee. 4.

ralia conferatur nisi eis, qui maturo examine procedenti, digni inuenti fuerint. Hoc modo, inepti, quos temeritas impellit, aut cæcus amor habendi trahit, vel carnalis affectio promouet iuxta illud Osee. Quia tu scientiã repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi, reiciuntur: & idonei, qui discretionẽ, scientia, & morum honestate fulgent, ad Dei gloriam & Ecclesie ornamentũ admittuntur. Quæ causa etiam tuum animũ mouit, Reuerendissime Domine, ut cum non modo huius examinis salutarem usum, sed etiã summam necessitatẽ in tua Ecclesia, cui gratia Dei præces, animaduertes, illud ipsum iam ferè obliuione sepultũ, de nouo ante quatuor annos, ad frequentiorẽ praxim reuocaueris, & ab omnibus diligẽter obseruari mandaueris, ne ulli aditus ad curatorũ & confessorũ officium pateat, sine præuio examine & approbatione: sic plane nunc perspectum existit, quantũ mali ex omissione examinis prouenerit, & quantũ boni sperandum, si ut necessitas postulat, cõtinuetur. Ab eo autem tempore, quo examen innouatum, multi conquesti sunt, quod ignorent, quibus studijs instructi cõparere debeant, at quæ formam aliquã præscribendam iudi-

PRÆFATIO.

iudicarunt : Cum nec omnibus contingat
 adire Corinthū, ut Doctores, aut in Theo-
 logia excellentes esse possint, nec cunctis sit
 ea ingeniorū ubertas, ut profundā Theo-
 logiam intelligere queant, Hac & similia
 quandoq; mihi obiecta ex eo tempore, quo
 cum alijs ex commissione Tuæ Celsitudinis
 examini pastorum præfui. Quare cum pu-
 tassē corū querelam non omnino ratione
 carere, pro rudioribus & simplicioribus ad
 curata beneficia promotis, aut etiam pro-
 mouendis, qui ut indies conspicimus, scho-
 lis artium relictis, aut statim Philosophiæ
 cursu absoluto, ne salutato quidem limine
 Theologiæ, officia pastoralia acquirere cō-
 tendunt, & oblata suscipiunt. Enchiridion
 Theologiæ pastoralis in ordinem digerere
 proposui, ut qui reconditā Theologorū do-
 ctrinā capere non valent, sufficientē sci-
 entiam quasi in vno fasciculo collectam in
 promptu habeant, qua propriā pietatem
 conseruent, & subditorū salutem pro onere
 suscepto promoueant. Cogitavi autem con-
 sultum fore captui eorū, quibus meum stu-
 dium proficere in Domino desidero, si ma-
 teriam in formā contraherem, ita ut par-
 uulis, quibus lacte opus est, cum solidum ci-
 bum deglutire nequeant, ad suum officiū

(i) 4 ritē

P R A E F A T I O.

ritè decenter q̄, obeundū, nihil necessarium
 subtraherem: nihil etiam superfluum ad-
 derem. Ac ut sic brevis essem, ne obscurus
 fierem: sic longus, ne rerum multitudine
 rudioribus horrorē incuterem. Quia sim-
 pliciores non nunquam laborant in discen-
 do: sed quæ communis multorū natura est,
 brevia non valent intelligere, & proluxa
 non amant legere: Fuit autem mihi cura,
 ut in discrepantibus Theologorum senten-
 tijs, & difficilioribus conclusionibus, au-
 ctōres probatos ac graues pro doctrina,
 quam trado, citarem subiungeremq̄, ut a-
 nimi eorum, qui Theologicarū rationum
 vim non penetrant, auctōritate confir-
 mentur ad quiescendum in doctrina: Sic
 tamen volui me simplicibus accommoda-
 re, ut mediocriter docti etiam suo fructu
 non careant, si lectio placebit: Miscui sub-
 inde scitu digna pro clericis utriusq̄ sta-
 tus. Tamen eius non sum sententia, ut his-
 ce meis omnes velim, aut cupiam adhare-
 re: Cum multi in Theologia excellentissi-
 mi, ex quorum fontibus hos riuulos dedu-
 xi, ampla volumina, & longos tractatus
 de rebus ad curam ac salutem animarum
 spectantibus scripserint. Meum autē pro-
 positum est iuuare eos, qui ob ingenij steri-
 litatem

P R A E F A T I O,

litatem, rerum inopiam, aut aliam honestam causam, studia non possunt prosequi, nec librorum supellectilem comparare: vellent tamen aliquid pro talento sibi credito in gazophilacium Ecclesiae offerre. Si qui tamen alij hisce delectentur, cum noua plerumq; placeant, & varietas tedium depellat, omnium bonorum auctori gratias habeo, ad cuius honorem refero. Hunc autem meum laborem, in utilitatem omnium, maxime tamen pastorum Diocesis Teuirensis susceptum, tuae Reuerendissimae Celsitudini dicare consecrare q; volui, tum ut argumentum meae erga eandem beneuolentiae declarē, tum ut pastoribus, quorum causa conscripsi, non displiceat, quod suo Principi placere intellexerint. Precor itaq; Reuerendissime Domine, ut quod in utilitatem Ecclesiae, cuius censura omnia libenter subijcio, factum, aequi boniq; consulas. Christus, cuius benignitate ad huius nostrae Ecclesiae regimen vocatus es, Celsitudinem tuam nobis quam diutissime sanam in utroque homine conseruet.

(:) s

INDEX

